

voluntatem omnibus preperatis venit rex Bohemie cum vestibus deauratis et gloria regia fulgente, procidit ad pedes regis Romanorum, humiliter ab eo sua regalia petivit. Insuper et centum milia marcarum redditus (quas Austria dux habuerat et rex Bohemie de regina Margareta habuerat et possederat)^{b)} resignavit. Unum autem prius rex Bohemie rogavit sibi condonari, ne scilicet in publico feudum accipere cogeretur. Erat enim homo superbissimus et verebatur publice flexo [genu]^{c)} illum adorare, qui olim ei ut magister curie sue^{d)} servierat. Annuit rex, ut sub tentorio aut papilione hoc fieret. Erat autem id tentorium mira arte factum adeo ingeniose, quod uno tractu in quatuor partes dissolvi poterat. Dum itaque flexis genibus accipit vexillum a rege, ut fieri solet, quidam furte rapto tentorium dissolvit, ut ab omnibus palam videretur regem de more adorare. Tunc rex Romanorum regi Bohemorum regnum nec non et regalia concessit et se amicum suum intimum omnibus astantibus intimavit. Rege Romanorum hec faciente indutus veste grisea despectus et humilis apparebatur et intrepide residebat.

Cum autem id uxori eius Kunigundi¹⁷²⁾, quam viventi Margarete (fehlt) superduxerat impius et a qua terras Austria inique possederat ea repudiata, innotuisset, venienti marito acerbissimis illudit verbis, quasi perpetuam sibi inussisset maculam: Vach, inquit, qui potentissimus es rex, coram servo olim tuo sordido tam splendide ornatus cervicem submittis eumque adoras palam cunctis videntibus. Emasculatus es neque testiculos paternos, ut puto, habebis. Indignus regia corona armis potius erat discernendum quam in fedus tam humile descendendum. Verbis autem huiusmodi ardentissimis increpatum regem compulit, ut pacem abiceret^{e)}, concordiam frangeret ac neglecto honore suo violatisque litteris suis bellum Rüdolpho indiceret contra jus iurandum oblatum contraque nobilium sentencias, qui eum trahere ab hac sententia frustra conabantur.]

fol. 186v

Post paucas^{f)} septimanas penituit regem Bohemorum, quod se subdiderat regi Romanorum. Vidit enim rex Bohemie, quod rex Rüdolphus multa possiderat bonorum et tamen in summa extitit paupertate. Propter

249,
15—19

b) *Schlußklammer fehlt in der Hs.*

e) *Hs. abjiceret*

c) *fehlt in der Hs.*

f) *Hs. pauces*

d) *nachträglich eingefügt*

¹⁷²⁾ *Kunigunde vgl. o. S. 462, Anm. 155.*